



53.









MICHAELIS
VERINI HISPANI PO-
ETAE AC IVVENIS DOCTIS-
SIMI DISTICHA DE
MORIBVS.

Quo morbi genere Poëta mortuus sit, satis bene
testatur Ang. Pol. in lib. Epigram.
ita inquiens:

V 287

Verinus Michaël florentibus eccidit annis.
Moribus, ambiguum, maior, an ingenio.
Disticha composuit decto miranda parenti,
Quæ claudunt gyro grandia sensa breui.
Sola Venus poterat lento succurrere morbo:
Ne se pollueret, maluit ille mori.
Hic iacet, heu patri dolor, & decus. vnde iuuētus
Exemplum, vates materiam capiant.



CLAVDIOPOLI.
In officina Helthana.
M. D. LXXXVIII.


POETAE VITA.

Poëtæ nostri vitam, patriam, mores, immacie turum denique funus paucis, & his accipe: Michaël Verinus Hispanus, minorem e Balearibus insulis habuit patriam, Minoricam vulgus appellat: natus Vgolino patre viro liberalibus in studijs haud vulgariter docto, quod innuisse videtur Poëta, cum inquit:

In lucem nostri formidant prodere lusus,
Si prius emendes, nil Vgoline timent.

PVer admodum Romanum deportatus fuit, ubi & frequens pater versari consueuerat. Paulo Saxonio Roncilio Grammatico ac Rhetori eximio, nec non versificatori erudiendus traditur, cui postea Distichorum suorum opus ingenij sui primitias dicavit. Quam sancte, quam candidè, quam etiam liberaliter scripsérat, abundè sua scripta testantur. Heroicum carmen versibus duntaxat tribus expertum illum fuisse dicitur, sic ordiens: Luxuria prædulce malum, &c. Statura fuit mediocri, colore candido, oculis viuidissimis, spiritu afflito, sermone non ita tardus quam consultò rarus. Amicos habuit, quorum quidem meminit in Distichis suis frequenter. Cœlebs atque incontaminatus ad XVIII. vixit annum, quinimò duris tunc fatis concessit.

MICHA-



MICHAELIS VERINI
VGOLINI F. DISTICHORVM
liber, Qui sententiarum inscribitur, ad
Paulum Saxiam Roncilionē Grā-
maticæ olim præcepto-
rem suum incipit.

Operis dedicatio ad Paulum
Saxiam Roncilio-
nem,



Oncilionis honor, sanctorum
regula morum,
Quæ didici reddo carmina
Paule tibi.

Ad eundem.

Tu me Pieridum duxisti primus in antra.
Primitias igitur accipe Paule meas.

Ad lectorem.

Si te crebra iuuat breuibus sententia chartis,
Delectum ē multis, hoc cape lector opus.

Ad eundem.

Disticha nostra legant pueri, castæq; puellæ,
Continet obscenos fabula nulla iocos.

A 2

Vnde

DISTICHA
Vnde traxit materiam
Distichorum.

Syderei, instar apum, delibans gramina Christi,
Delegi lector hoc tibi mellis opus.

Nemo impurus hæc legat.

Hinc lasciuia Venus, procul hinc discede Cupido:
Tota meis legitur casta Minerua libris.

Ad Catonem.

Tu Cato vel censor nostris scribere libellis:
Hec farrago mei carminis, ista seges.

Ad lectorem.

Nostra legas quisquis fueris breuitatis amator:
Inuenies lepidos, sed sine felle, iocos.

Ad lectorem de Mar-
tiale.

Carmina sunt fateor, pulcherrima Vatis Hyberi,
Ad mores faciunt non tamen illa bonos.

Quod Christianos non decet
esse leues.

Cur grauibus texam, queris, mea disticha verbis?
Cultores Christi non decet esse leues.

Opima quæque carpenda ex
authoribus.

Vergilius gemmas Enni de stercore legit:

Et

MICHAELIS VERINI.

Et mihi sunt Vatum plura notanda late.

Ad amicum de editione
sui libri.

In lucem hortaris me nostros edere versus :
Perfectum nescis ut mora reddat opus ?

In tribulatione virtus, ut aurum in
igne, perficitur.

Quod fornax auro, facit hoc tribulatio iustis &
Rebus in aduersis certa probanda fides.

Amor est causa timoris.

Quia tu contemnes, nunquam amisisti dolebis :
Nam magni est nimius causa timoris amor.

Veri amoris nullus est finis.

Nunquam vera fuit charitas, que definit esse :
Nam nullus veri finis amoris erit.

Non decet Christianos more
Ethnicorum turpia
scribere.

Nos genus electum Christi, nos sacra propago,
Scribemus veterum turpia more patrum !

Obscenae fabula à pueris
vitanda.

Inficit obsceni puerorum carminis aures
Fabula, dum Vatum queritur ipse nitor.

DISTICHA

Mala durant, quæ teneris mentibus
discuntur.

Heu, male diluitur teneris quod mentibus hæsit,
Præsertim durant quæ didicere mala.

Quare mordaces versus non
scribat.

Quod nostri careant mordaci schemate versus,
Lex hominum hoc prohibet, religioq; Dæi.
Omnes sunt felices, vbi o-
mnes amici.

Quam felix & quanta foret Respublica, ciues
Si cunctos unus conciliasset amore?

Nil sine spe præmij fit.

Est labor ingratus, quem debita præmia fallunt:
Quid graue non fiet spe sine, vel leue sit?

Animum dantis Deus non do-
num considerat.

Non quantum dederis, sed qua tu mente dedisti
Pensandum est: placat victima parua Deum.
Forma caduca mali persæ-
pè caussa.

Quid fidis formæ populat quam morbus & ætas?
Multis caussa mali candida forma fuit.

De eadem.

Heo

MICHAELIS VERINI.

Hæc quam cernis anum, quondam formosa puerilla
Extitit: an nescis quam breue forma bonū est?

Vxor bona & non pulchra
habenda est.

Sit formosa alijs vxor, tibi sit bona: nescis
Quam noceat castæ forma pudicitie.

Difficile est custodire formosas.

Aegrè formosam poteris seruare pueram,
Nunc prece, nunc auro forma petita ruit.
De infœlici patria.

Infœlix patria est, pueros ubi purpura vestit,
Atq; ubi præcedit diues honore bonos.

Illa patria est fœlix, ubi iu-
uentus assuescit modi-
cis cibis.

Illa domus fœlix, ubi paruo assueta iuuentus,
In festo coctum luxuriatur olus.

De falso gaudijs.

Quæ durare putas mortalis gaudia vita,
Sunt brevia, & finis tristis amoris erit.

De veris gaudijs.

Vna salus, seruire Deo est, hæc gaudia sola
Vera putas: quorum gloria finis erit.

DISTICHA

In peccato est plus doloris quam voluptatis.

Quid letare miser? peccati est nulla voluptas:
Gaudia plus aloes quam tua mellis habent.

Cor impiorum est freuum
feruens.

Cor iniustorum semper velut aestuat unda
Aequoris, insanus quum freta ventus agit.

Impudici oculi de prædan-
tur animam.

Lumina prædantur mentem, pariuntq; ruinam
Lumina nequitiae (si sapis) abde foris.

Quid sit peccatum.

Peccatum est deforme malum: transgressio legis
Divine, at citius dixeris esse nihil.

Iudex & censor omni care-
at peccato.

Afficiat lucem, qui vult damnare tenebras,
Qui carpit mores, labe carere decet.

Peccator & cæcus & bestia
efficitur.

Cor Deus iniusti nebulis obnubilat atris,
Exuit & formam, fitq; repente fera.

Pecca-

MICHAELIS VERINT.

Peccatum est obex iniuriam
mam & Deum.

Obtenebrat mentem peccatum, est obicis instar,
Quo nequit authorem cernere tecta suum.

Quanta fides fuerit tanta re-
tribuatio.

Est operis mensura fides, nostriq; laboris
Examen: capies præmia, quanta fides.

Aliena magis quam nostra vi-
tia cernimus.

Cur aliena magis, quam crimina nostra, videmus?
An quia nostra procul sint, aliena propè?
Post gaudia dolor sequitur.

Acternus sequitur præsentia gaudia mœror:
Stulte ne delitijs credis utrisque frui?

Risus in luctum vertitur.

Heu, risus noster luctu miscetur amaro,
Duraq; sub dulci melle venena latent.

De auaro.

Nusquam fraude caret, semper mentitur auarus:
Erga inopes surdus ferrea corda gerit.

De distributione honoris.

Indignum est nullo certamine præmia velle,
virtuti iustus distribuatur honor.

DISTICHA
De gloria.

Gloria si dulcis, studeas virtute parare :

Quo labore est maior, gloria maior erit.

Iusti bene operantur propter virtutem.

Terret poena malos, inuitant premia iustos :
Sed potis est virtus reddere sola bonos.

Qui Deo militat, mortalia contemnat.

Terra spernat opes, coeti qui militat oris :
Principis aeterni castra sequenda tibi.

Vt patientiae crescant premia,
non audit Deus inuocantes se.

Vt tua maiori crescat patientia laude,
Non audit subito vota petita Deus.

Nec curio, nec temerè iudicandum.

Judicium præceps insani iudicis index :
Omnia sunt longis discutienda moris.
Iustitia & charitas arma sunt principum.

Iustitia & charitas valide sunt principis arcus,
Nulla Tyrannorum vis diurna fuit.

Con-

MICHAELIS VERINI.

Contra inertes,

Tolle moras. volucres menses labuntur; & anni
vltima sit nescis quando futura dies.

Viuendum tanquam sit ultima dies.

Compositis viuas ceu sit lux vltima rebus,
In cautum ne te Parca seuera premat.

Aliud.

Quod sit nemo sua contentus sorte requiris?
A patriæ extorres viuimus hic folio.

Nihil stabile in rebus hu-
manis.

Quum stabile hic nil inuenias, cur stare requiris?
Et videoas fluxu cuncta perire suo?

Quæ videntur sunt fluxa, in-
uisibilia æterna sunt.

Quod cernis nihil est, volat atri turbinis instar,
Sed quod non cernis esse perenne putas,

Ad magna præmia magno la-
bore venitur.

Non nisi per magnos ad præmia magna labores
Itur, at ignavis nulla corona datur.

In eandem sententiam.

Si te delectant æternæ præmia vita,

Magna

DISTICHA

Magna quidem : nec te terreat ergo labor.
Qui bene vixit non timeret
mortem.

Qui bene præteritos sine labore peregerit annos,
Non horret mortis vulnera dira pati.

Mors boni viri non est deflenda.

Non obitus flendus, sequitur quem vita perennis :
Vivus enim semper, qui bene vixit erit.

Etudiendi pueri in ætate tenera.

Dum tenera est ætas generosos imbue mores.
Tunc facile est cunctis artibus ingenium.

Tenoris iacura maxima,
præsertim doctis.

Nulla viris doctis iactura est tempore maior.
Ah multi incassum tempus abire sinunt.

Mors malorum pessima, bonorum fœlix.

Formidanda malis sequitur quam peccata perennis,
At contraria fœlix mors solet esse bonis.

Totam illustrat vitam fœlix exitus.

Tota illustratur fœlici funere vita,

Mors

MICHAELIS VERINI.

Mors fœlix vita cauſſa perennis erit.

Bono bonus exitus, malo malus.

Vita boni raro turpatur funere fœdo,

Vita mali turpi clauditur exitio.

Murantur pili & non mores.

De flauis retula in canos vulpecula mutat,

Illiū at mores vertere nemo videt.

Gula & ocia sunt arma Veneris.

Quis Cererem & Bacchū? quis nesciat ocia cauſe

Nequitiæ & sceleris tela Cupido tui. (Sam

Curatio morbi non est differenda.

Si vis curari, medico tua vulnera pande :

Exposces sero cum morieris opem.

Pluribus medicis non est cre-
denda salus ægroti.

Vis febre curari? medicis ne crede salutem

Pluribus: unus enim sat bonus esse potest.

De gula, quæ plures interficit,
quam gladius.

Miraris subito Franciscum funere raptum :

Crede mihi, ancipiti plus ferit ense gula.

De eadem.

Quū doleat stomachus medicum accersire Leone
Paule iubes, febris si tibi causa gula est.

De

DISTICHA

De gula morborum causa.

Autumno, inquiris, cur tot moriantur in uno,
Causam, quum gula sit pestis, & atra lues.
Modicis cibis natura contenta.
Esse cupis frugi? facile est: nam panis & vnde
Prædiues dapibus quilibet esse potest.

Omnia pro vita æterna sunt
hic toleranda.

Si quanta æternæ sunt vitæ præmia voluas,
Omnia pro Christo perpetiæ libens.

Aliud.

Spe regni eterni debes tolerare labores,
Longe promissis vberiora feres.

Aliud.

Pro superis dabitur quæ commutatio regnis?
Et tamen hanc hominū plurima turba fecit
Recta conscientia dat verum
gaudium.

Gaudia vera dabit mens omnis criminis expers.
Hei mihi, quam pauci gaudia vera ferent.

Non sunt vera gaudia in præ-
senti vita.

Delectare putas præsentis gaudia vita?
Quorum cum poena toxica finis habet.

Soli

MICHAELIS VERINI.

Sola virtus beatos efficit.

Omnia quum pereant, virtus est sola perennis :

Hec immortales reddere sola potest.

Nemo confidat in suis diuitijs.

Pone modum rebus nimium confise secundis.

Quae dedit, haec, eadem fors tibi tollet opes.

In eandem sententiam.

Quid tibi si gemmas omnes cumularis & aurum,

Et tua tartareis mens crucietur aquiss?

Deus non miseretur assidue
peccantis.

Absidue peccantis erit Deus hostis acerbus,

Quoniam magis tolerat, saeuior ultor erit.

Deus tarditatem supplicij, poe-
næ grauitate com-
pensat.

Quid ridet grauitate Deus tormenta rependet,

Et gliscit tardis grandior ira moris.

Pecunia amissa grauius luge-
tur quam peccatum.

Situatam verum luères peccata dolore,

Vt nummos: essem victima grata Deo.

Vtendum est florida ætate.

Si mora nulla datur vita labentibus horis,

DISTICHA

Cur ita tam longo turba sopore iacet?

Mors est ineuitabilis.

Qui subito palles audito nomine mortis,

An tibi res noua mors? unde repente metus?

Quando mors est oprimta.

Optima mors tūc est, cūm vita est criminis expers

Mors fœlix vita est, quum tibi chara magis.

Post prandium vitæ venit luctus mortis.

Quid lætare miser? nescis post gaudia vite,

Perpetuos luctus mortis adesse tibi?

Deus non est author culpæ,
sed pœnæ.

Non Deus est autor culpæ, sed criminis vltor,

Pro meritis iustis, præmia iusta dabit.

De vitæ cupiditate in tot malis,

Quum mala præsentis longè sint plurima vitæ

Quam bona, cur vitæ tanta cupido tenet?

Via cœli difficilis, sed promissis Dei facilis.

Est via difficilis, superas quæ ducit ad oras,

Promissis facilis redditur illa Dei.

Vlcus proditum citius curatur.

Quod citò prodideris medico curabitur ulcus,

Obfuit, heu, multis occuluisse diu.

Omnis

MICHAELIS VERINI.

Omnia diuitibus licent.

Quum reus est diues Prætorem nactus auarum,

Quid non sperabit posse licere sibi?

Quales Principes, tales populi.

Si studia & mores populi cognoscere curas,

Res facilis, vitam Principis inspicias.

K3

Cur solus in agris sæpè
veretur.

Esse tibi solus videor, si solus oberrem,

Tunc mihi Pieridum turba canora comes.

In eandem sententiam.

Quum fugiam coetus, me tanquā carpis agrestim,

Tunc ego sum solus, cùm mihi turba comes.

In adulatores.

Blandus adulator regum certissima pestis,

Hæc gaudet sanctos perdere sæpè viros.

De eodem.

Blandus adulator virus commune potentum,

Sæpius infesto sæuior hoste nocet.

Quales esse debemus.

Sis nulli blandus, sed verus & omnibus æquus,

Vox clamore vacet, sit sine lite sonus.

De risu.

Immodicus risus non est sapientis, at index

DISTICHA

Stultitiae, lepidi sint sine dente ioci.

Ne simus loquaces.

Vis sapiens dici, raro, et meditata loquare.

Sæpe loquax verbis proditur ipse suis.

Vera laus bonorum.

Omne genus laudis turpi vilescit in ore,
vera boni et docti laus solet esse virtus.

**Nec nostra laudare nec aliena
reprehendere debe-**

mus.

Nec tua laudabis, nec facta aliena reprendes.

Nam satis est, alter si tua facta canit.

Ad Maurum desidem.

Tempore sic omni deses colis ocia Maure,
ut recutitorum sabbata turba colit.

De munere,

**Munera quid possint, testetur ferrea turris,
Quam victor fulvo Iupiter imbre subit.**

In eundem sensum.

Quid non argento, quid non corrumpitur auro?

Qui maiora dabit munera, victor erit.

Diuites plerumque mali.

Difficile est opibus mores seruare pudicos,

Omnia diuitibus nonne licere vides?

Diui-

MICHAELIS VERINI.

Diuitiæ sunt causa pericu-
lorum.

Quum sint diuitiæ manifesta pericula vitæ,

Cur voto à cunctis sic cupiuntur opes?

Paupertas cùm bona sit, ab
omnibus eui-
tatur.

Sobria paupertas multorum causa bonorum est.

Hanc tamen ut pestem plurima turba fugit.

Natura paucis contenta.

Quidnam deesse potest, modicus si panis & vnda,

Prandia vel coenam si tibi præbet holus?

Mors expectanda intrepidè.

Expectes omni securus tempore mortem,

Nam quo sit nescis excipienda loco.

Mors ubique.

Ipse licet fugias pennis velocius Euri,

Non tamen effugies tela tremenda necis.

De timido.

Infelix palles audito nomine mortis,

Tanquam sit soli mors fugienda tibi.

Mors vitari non potest, unde
nec timenda, nec fu-
gienda,

Bz

Quod

DISTICHA

Quod nequeas vitare fugis? mors omnibus instat,
Nec formidanda est, nec fuga tibi.

De eadem re.

Stultum (crede mihi) est, quod ineuitabile cernis,
Effugere, & turpi si quatire metu.
Gloria s̄æp̄e spreta, cumula-
tior redit.

De te alij narrent, proprio sordescit in ore
Gloria: si taceas plus tibi laudis erit.
Nil magis nostrum est quam
tempus.

Nil magis est nostrum volucris quam temporis r̄sus
Sed multis tanquam res aliena volat.

Quicquid præteritum est,
mors nobis ab-
stulit.

Prospicimus cuncti mortem, sed fallimur omnes :
Quicquid præteritum est abstulit atra dies,
Voluptas pœnitentiæ pro-
xima.

Est instar floris verni fugitiua voluptas :
Quod pudeat semper, pœnitentia facit.
Laus liberalitatis.

Ille Deo similis, qui dat benē munera letus,

MICHAELIS VERINI.

Qui repetit fructus, fœnoris officio est.
Nulla maior & usura sancti-
or, quam pascere
pauperes.

Nullum maius erit lucrum, quam pascere egenū,
Fœnore nam grandi centupla dona feret.

Palam reddendæ grates,
clam dandæ.

Ingratæ mentis sine teste est reddere grates,
Reddereq; ingratæ est dona minora datis,
Qui pauperibus elargitur, in
celo thesaurizat.

Quas Christi caussa misericordia donabis egenis,
In celo æternas constabilibis opes.

In auarum.

Quid cumulas aurum? solum conceditur usus:
Tempora labuntur: dum cumulantur opes.

Nullum magis lucrum, neq;
certius, quam credere
Christo opes.

Quod maius fœnus quam Christo credere censum
Promissis ne Dei est certior illa fides.

De eadem re.

Munera si gratis dederis, si latus amicis,

DISTICHA

Tolle dñitias has tibi nulla dies.

Dat gratis nemo.

Munera qui mittit, sperat maiora remitti :

Nemo suas vellet perdere gratis opes.

Laus virginitatis.

virginitas cœlum, Veneris chorus implet auernū,

Hæc superis similes nos facit, illa feris.

Non decet seruum nec uxori
rem dominari.

Quām miserū est, stultus si tractet seruus habendas

Imperet aut uxor ambitiosa viro.

Qualiter Gratiae pinguntur.

Pinguntur geminæ Charites spectare sororem,

Dono tibi, reddas ut duplicata mihi.

In eundem sensum.

Pinguntur nudæ Charites, ne fœnore dones,

Vsuram pietas, religioq; vetat.

Ad amicum.

Accipe parue mei lētus munuscula census.

Nec quæ sint, sed qua suscipe mente data.

Minor est labor quām præ-
mīum cœli.

Quem potes æterno pro munere ferre laborem :

Mercedi ant tantæ par labor esse potest?

Pro-

MICHAELIS VERINI.

Propter paruam fidem pauci
saluantur.

Saluantur pauci, multiq; vocantur ad astras

An quia sit paucis cognita vera fides?

De charitate.

Est charitas perfectus amor, perfectaq; virtus,
Qua sine perfectum nil reperire potes.

Qui habet maiorem charitatem, habebit maiorem
gloriam.

Cui maior charitas, debetur gloria maior:
Quantus amor fuerit, præmia tanta feret.

Qui vult esse altus, sit humilis.

Esto humilis, quisquis fieri cupis incola cœli,
Fastus tartareis excruciatur aquis.

Tardi & considerati ad loquendum.

Qui citò præcipitat velox sine pondere verbum,
Errat, & emissum non reuocare potest.

Quod dices & facies alijs, tibi
fiet & dicetur.

Quæ dices alijs, tibi iam responsa remitti
Expectes: capias qualia dona dabis.

Sententia carens pietate, iniusta est.

DISTICHA

Que pietate caret sententia, sœua putatur :
Est pietas cunctis anteferenda sacris.

Melius consilium quam vires.
Consilio utilius, quam viribus arma geruntur,
Militis est robur, consiliumque ducis.
Multi peccant, & paucos er-
rati pœnitent.

Que sine labe caro? quæ non obnoxia culpæ est ?
Quem non inuenies criminis esse reum?
Deus non potest peccare, alij
omnes.

Non peccare Dei est, nemo sine crimine viuit :
Errati paucos pœnituisse vides.

De falsa spe pœnitentiæ.

Pertenuis spes est inter peccata salutem,
Et sperare nouis criminibus veniam.

Qui præsentia desiderat, fu-
tura negligit.

Cui spes præsentis vitæ est præfixa, futuram
Negligit, hic nunquam mente quietus erit.

De iracundo semper exceden- te iustitiam.

Qui timeret, & præceps rapidas exarsit in iras.
Excedet semper limina iusticie.

Quæ

B M I C H A E L I S V E R I N I.

Quæ virginitati obstant.

Qui vult virgineum cœlebs seruare pudorem,
Otia deuitet, fœmineosq; choros.

De eadem re.

Sepè marem in furias aspectu fœmina solo
Vrget. & inflammat pectora notus odor.

Vitandæ oportunitates ne-
quitiae.

Quis non vretur, si se deiecit in ignem?
Viuere quis credat dira venena bibens?

Melius est timere benè, quam
male fidere.

Vtilius timuisse benè, quam fidere male,
Nam cauto & timido nulla procella nocet.

De vitandis fœminis.

O quibus illecebris capitur cui fœmina iuncta est,
Fœmina tentandi pabula quanta dedit?

R Fœminæ occursus est sagitta
dæmonis.

Formosæ occursus mulieris dæmonis arma:
Parthorum tanquam dira sagitta ferit.

Vitanda proximitas fœminæ.

Sepè pudicitiam mulier formosa propinquæ
Eripuit castis, multaq; damna dedit.

B 5

Fœmi-

DISTICHA

Fœmina domat duces victores.
Fœmina magnanimos domuit per se p' leones,
Prædaq; victores s' p' fuere duces.

Viri duo fortissimi Samson
& Hercules fœminis
succubuerunt.

Quis Samsone fuit, quis fortior Hercule? constat
Fœmineis ambos succubuisse toris.

Tutior est sibilus Basilisci, quam
cantus puellæ.

Tutius in sylvis Basiliscum audire frementem,
Quam molles cantus, fœmineumq; melos.

Tria mulieris petulantiam
cohibent.

Fœmina molle genus, turpes procliuis ad actus,
Ni vir sit custos, ni pudor, atq; metus.

Mulier peccati caussa.

Fœmina peccati gluten: latet anguis in illa:
Si sapis, hanc, ceu sit pestis, amare fuge.

In eandem sententiam.

Noxia fœminei fugias contagia cœtus:
Quanti caussa mali fœmina prima fuit:
Laus virginitatis.

Virginitas animæ murus, victoria carnis:

Portus



MICHAELIS VERINY.

Portus honestatis sancta pudicitia est.

De virginitate.

Virginitas cœlestis bonum, cognata phalangi

Angelica: in terris heu mihi rara fuit.

Luxus ingenii & mores perdit.

Nil lethale magis, quam luxu perdere mores;

Hæc pestis iuuenium est sevior ingenij.

Non decet virum nimis benè
psallere vel cantare.

Turpe viro studium est psallendi, turpe canendi,

Turpe est foemineis semper adesse choris.

Spes vite longæ est peccati
cauſsa.

Dulcis amor vite dirum, mihi crede, venenum est,

Cauſsaq; peccandi spes diuturna fuit.

In eandem sententiam.

Quam miserum est nescire mori, vitaq; cupido

Peccandi multis pabula quanta dedit

Qui nihil sperat, nihil timet.

Si nil sperabis, discrimina nulla timebis.

Qualis amor fuerit, talis et ipse timor.

Non decet virum muliebri
cultu incedere.

O quam turpe viro muliebri incedere cultu,

Molliaq;

DISTICHA

Molliaq; euulsis reddere crura pilis.

De principe non prohibente
peccatum.

Qui prohibere potest, caussam tribuisse videtur
Peccandi, quicquid non uetat illicitum.

Conscientia bona nihil timet.

Qui recte viuit, contemnit iussa superbi,
Conscia mens recti nil timuisse potest.

Viua vox magis afficit.

Plus tibi coniunctus, plus viui proderit oris
Eloquium, quam si scripta diserta legas.

Fidere vulgo, & placere velle
dementis est.

O te dementem, si vulgi ignobilis aura

~~Te mouet, ab nescis cui placuisse cupis.~~

Non sunt munera accipienda.

Munera ne capias, vincus latet hamus in esca,
Nulla carent visco, munera virus habent.

Verus amicus aduersis co-
gnoscitur rebus.

Temporibus duris veri noscuntur amici,
Ab fidos paucos experiere tibi.

In eandem sententiam.

Inuenies multos, si res tibi floret, amicos,

MICHAELIS VERINI.

Si fueris pauper quis tibi amicus erit?

Quæ sunt veræ diuitiæ?

Diuitiæ non sunt argenti pondus, & auri,
Virtutes veras accipe diuitias.

De lucri cupiditate.

Conditio misera est lucri intoleranda cupido:

Hyberni hæc exat turbinis instar aquas.

Ad auarum.

Ostia pauperibus, penus & granaria claudis,

Tradiderit soli hæc ceu tibi cuncta Deus.

Cur non èdat.

Cur ego non èdam in lucem mea disticha queris?

Aedita (si mala sunt) quis reuocare potest?

Victrix fortunæ sapientia.

Si fueris sapiens, Crœsi superaueris aurum:

Nam sapiens nullo tempore viuit inops.

Stulto prodest nihil.

Quid prodesse potest stulto, quum nesciat uti

Consilio? atq; omni tempore viuat inopse

Qui amat corpus, spernit animali virtutem.

Cui nimis est charum corpus, vilescit honestas,

Et ventrem, & mentem pellere nemo potest.

Ad Petrum.

Te

DISTICHA

Te miserum dicis, fateor, sine crimine quenquam
Non vidi miserum: tu miser ergo Petre es.

Ad Dinum.

Quum tanta heu miseris penuria temporis instet,
Cur Dine in nugis tempora longa teriss?
Reprehendit mori timentem.

Quum si plena mali vitæ mortalis egestas,
Cur exire times carcere? liber eris.

Satis viuit, qui honestè viuit.

Quod citò decedis, gemis: hac es lege creatus,
Nam tibi longa satis, quæ bona vita fuit.

13.
Omnia patienter ferenda, ut
ex voluntate Dei præ-
cedentia.

Quod tibi contigerit patienter ferre memento,
Quum certum est fieri numine cuncta Dei.
Mens bona nunquam timet,
at mala semper.

Conscia mens recti nullo commota pauore est.
At mala mens semper sollicitata metu.

Omnis bonus fœlix.

Quid magis est fœlix quam cor sine crimine mü-
Qualis inest mundo pectore lœtitia? (dum)
Contra Hypocritam.

Mentis

MICHAELIS VERINI.

Mentiris Christi falsò qui sacra fateris.

Ni facias quicquid pagina sacra iubet.

De veneratione parentum.

Qui cupis esse senex, charos venerare parentes,

Quæ patri facies, filius illa tibi.

Contra mercatores rerum terrenarum.

Per mare, per terras mercator queritat aurum;

Tu cœli æternas stulte relinquis opes.

In auarum diuitem.

Quem non pauisti, mactasti diues egenum;

Ipsa reus tanti criminis huius eris.

In parasitos.

Qui socius mensæ est, verum ne reris amicum,

Tolle epulas, noscet quām tibi fidus erat.

Qui amat periculum, in eo peribit.

Qui discrimen amat, persæpè peribit in illo,

In pugna miles, nauta peribit aqua.

De incerto exitu.

Quum minimè velles truncabit stamina Clotho,

Nec quicquam extremo certius interitu est.

Contra tardanteis benè o- perari.

DISTICHA

Cras, inquis, faciam, concessa; labitur hora;
Fac hodie, fugit haec non reditura dies.

De inuidia.

Inuidia est animi tinea; haec ceu viperā mordet,
Autorisq; sui viscera prima ferit.

Non audiendus deirector.

Qui detrectori facilis accommodat aures,
Dat caussam, & pariter criminis ille reus.

Quod scimus, docere debemus.

Edoceas quod scis, fit enim sapientia dando
Maior, at est contrà facta retenta minor.

Via cœli aspera, inferni prona.

Itur ad æthereas per magna pericula sedes:
At nullo inferni prona labore via est.

De fœditate peccati.

Si posses vicium quam sit deformis idere,
Hoc dices monstro fœdius esse nihil.

De pulchritudine virtutis.

Flammiferis longè est virtus formosior astris,
Haec rebus cunctis anteferenda tibi est.

Qui meminit mortis & inferni, facile
Ie à vicijs abstinebit.

Is facile extinguet Veneris flagrantia tela,
Qui meminit gehennæ, qui Phlegetonis aquæ

Ad

MICHAELIS VERINI.
Ad Simonem Canusianum.

Te dare promittis, nec das mihi munera Simon,
Nil tibi debebo, si mihi tarda dabis.

Elatorum grauior est lapsus,
quam humilium.

Quò magis est abies procera, euertitur Euris :
Culmina, non valles, fulmina torta petunt.

Virtus vnius, alterius inuidia.

Quò maior ciuis, maior solet esse ruina,
Magnaq; liuorem gloria sepè parit.

Qui magnus est semper timet.

Quantò maior eris, maiora pericla cauenda,
Crede mihi, nullo tempore tutus eris.

Bis dat, qui citò dat.

Munera des latus, corrumpunt tædia donum:
In quo censendum est quid, nisi dantis amore?

Qui citò & temerè promittit,
nusquam seruat fidem.

Qui citò, qui temerè spondet se multa daturum,
Quæ male promisit turpis illa negat.

Negare in principio, est dare
beneficium, si benè
negetur.

Qui citò vel bellè negat, is tribuisse videtur

DISTICHA

Munera, nam semper est odiosa mora.

Non est seruanda fides in rebus malis.

Turpiter Aegide Neptunus munera soluit:

In mālē promissis reīcienda fides.

In auarum,

Vestibus innumeris desudas, horret egenus

Frigore, cur inopem, teq; calore necas;

Cui plus Deus dederit, plura
requiriēt.

Cui bona multa Deus concessit, plura requiriēt;

Ni dispensarit quas bēnē cōcepit opes.

Non est tutum si petis suis,
credere se alienis.

Non est tuta salus alienis credita telis,

Venales mutat quālibet aura manus.

Iustitia & charitas sunt arma
tuta principum.

Iusticia & charitas delecti Principis arcēs;

Hēc sunt arma, quibus nulla nocere queat.

Qui dat īopī sua, nunquam
erit pauper.

Qui bēnē diuitias īopī donabit amico,

Hic omni fœlix tempore diues erit.

Velo

MICHAELIS VERINI
Velox passus sine causa, si-
gnum leuitatis.

Incessus velox signum leuitatis habetur.

Ni caussa impellat præcipitare moras.

Pueri & iuuenes non debent
maledicere senibus.

Ne sœua in canos iuuenis conuitia fundas,

Sed subito assurges prætereunte sene.

A prima ætate sunt docen-
di pueri.

Vera tuis ut sit si vis sapientia canis,

Cum primo hanc sitiens ebibe lacte puer.

Vnde Senatus dictus.

A senibus priisci sanctum dixere Senatum.

Est robur iuuenum, consiliumq; senum.

De senum prudentia.

A sene consilium queras, prudentia rerum

Est illis, sine qua curia quæq; perit.

Signum ruine gubernatio
iuuenum.

Vrbes, regna, domos iuuenum quas rexerit ardor,

Sint quanquam fortes, certa ruina manet.

Quid sit lex & iustitia.

Vim legis prohibere malū est, permittere honestū

DISTICHA

Iustitiae est semper ius dare cuique suum.

Qui citò credit leuis est corde.

Qui citò crediderit falletur sèpè, leuisq;

Est cordis: raro fallitur ipse senex.

Peius est foedari animo, quam
turpari corpore.

Fœdius est animi vitijs corrumpere lucem,

Corpora quam turpi commaculare nota.

Iniustitia ruina vrbi.

Nil iniusticia miseræ est infestius vrbi:

Funditus hæc muros vertit, & ipsa domos.

Discordia res omnes euertit.

Nil adeò est firmum, quod non discordia vellat:

Funditus hæc muros vertit, & illa domos.

Qualis sit princeps Reipu-
blicæ.

Publica priuatis nisi præferat omnia rector,

De iusto iniustus rege tyrannus erit.

In cœlo vera amicitia.

Si nihil in terra casto perhibetur amore

Dulcius, in cœlo qualis amicitia?

Non benè philosophiæ & con-
iugio vacatur.

Non benè Socratis chartis, thalamoq; vacabis.

Num-

MICHAELIS VERINI.

Numquid erit Veneris casta Minerua comes?
Senectus bonis iucunda est,
malis morosa.

Quæ caruit vicijs dulcis solet esse senectus:
Contrà morosa est, quæ vitiosa fuit.

Vicia aliena inquirimus, no-
stra non cernimus.

Esse quid hoc dicam, alterius si crima Linceis
Aspiciis, at cæcis si tua luminibus?

Nemo sua sorte contentus.

Quisque suam deflet sortem, vicinæq; semper
Apparet falsò letior esse seges.

Mutatio consilij optimus
portus.

Errare est hominis, sed non persistere: sæpe
Optimus est portus vertere consilium.

Tempus præteritum reparari
non potest.

Præteritas nullus reuocabit tempus in horas:
Desidia an quicquam födius esse potest?

Vtilius est vnum aut sæpè li-
brum legere, quam mul-
tos cumulare.

Egregios cumulare libros præclara supellex:

DISTICHA

Ast vnum vilius voluere s̄pē librum.

De retinendo quæ leguntur.

Vt cibus emissus subitò, non proderit alio:

Pabula sic mentis non retinere diu.

Nocent plura medicamenta,
& plures medici.

X Impediunt certam medicamina crebra salutem.

Non plures medici, sed satis vnuſ erit.

Nihil sine amicis iucundum.

Quid tibi iucundum submotis effet amicis.

Cuncta tibi quanquam sint cumulata bona?

Quid sit amicus.

Alter ego est verus, multumq; probatus amicus,

Quo debet nobis charius esse nihil.

Amici priùs eligendi, electi
semper retinendi.

Nil temerè admittas, nisi fidum noris amicum,

Sed semel admissus semper habendus erit.

Scire mori, est honor nōnis.

Mortis honor est scire mori, vītaq; beatæ

Exitus est testis, qui sine labe fuit.

Fictilibus tutiùs quam in gem-
mis cœnatur.

Fictilibus cœnare pudet, gemmasq; requiris.

Ab

MICHAELIS VERINI.

Ab nescis demens quanta pericla manent,
Sapientia docendo, charitas
dando fit maior.

Vt charitas dando, sic fit sapientia maior:
Clusa minor nobis, largius ergo dabis.

Avaricia semper crescit.

Crescit auara sitis, quanto tibi copia maior,
Vel cumules omnes, semper egebis, opes.

Quis sit diues.

Non est, crede mihi, multos qui possidet agros
Diues: sed diues cui fatis unus ager.

Liberalis.

Quas inopi & dulci latus donabis amico,
Temporibus nullis eripientur opes.

De ægroto incurabili.

Icitò, dic oleum properet deferre sacerdos:
Conuenit medicum plurima turba simul.

Aegroti non curantur à
pluribus.

Nunquam, crede mihi, à morbo curabitur æger,
Si multis medicis creditur una febris.

Quare diuites peius, quam
pauperes cureniur
ægroti.

DISTICHA

Vnde fit ægroti ut plures currentur egenis?

An quia diuitibus pharmaca plura nocent?

Quomodo diues fœlix efficitur.

Vis fieri diues: Christi precepta sequaris,
Diminuas animi grandia vota tui.

Amici diuitum sunt falsi
amici,

Quem tibi diuitie peperere, est falsus amicus:
Argentum, non te, diligit ille tuum.

Patientia & fides probatur in
rebus aduersis.

Rebus in aduersis patientia vera probatur:
Rebus in aduersis vera probanda fides.

Duplex poena peccandi prin-
cipi imponenda.

Si proceres nequam, si peccauere parentes,
Exemplo & sceleri poena paranda duplex.

Filius imitatur mores parentis.

Sæpe patris mores imitatur filius infans,
Qualis erat mater, filia talis erit.

Filia mores matris sequitur.

Castæ refert castæ genitricis filia mores,
Lasciuæ nunquam filia casta fuit.

Pater

MICHAELIS VERINI.

Pater debet esse optima nor-
ma filijs.

Et verbo, & facto paruis sit regula natis,
Optima suq; omni tempore norma pater.

Artes descendæ à teneris.

Altera natura est habitus, quam iunior artem
Perdisces, tollet nulla senecta tibi.

Sola virtus beatos efficit.

Sola potest homines æternos reddere virtus.

Huic soli è cunctis non libitina nocent.

Eloquentiæ vires.

Nil tam difficile est, quod non persuadeat, & non
Efficiat docti lingua diserta senis.

De eloquenlia.

Ancipiti eloquium longè penetrantius ense:
Hoc rabiem motam sedat, & arma mouet.

Ad idem.

Nil adeò incultum quod non ratione mitescat.
Thebarum hæc altas vexit ad astra domos.

Qui verum audire non vult,
perditus est.

Desperanda salus qui verum audire recusat,
Inq; suum præcps labitur exitium.

Iuuenum furore virbes euersæ, ser-
C 5 uatae

DISTICHA

Uatae consilio senum.

Præcipites iuuenum dementia subruit vrbes,
Curia consilio constabilita senum est.

Plus Fabius senex quam Flaminius profuit urbi
Romæ.

Plus cunctatoris Fabij mora profuit urbi,
Flaminij & Grachi quam valuere manus.
Conscientia bona iudicem
non timet.

Accusent te mille licet, mens conscientia recti
Stat tamen, & spernit iudicis ora trucis.

Ad quendam vaniloquum.

Omnibus in triujs recitans tua carmina laudas,
Si vis ut laudem, disce tacere prius.

Non est vituperandus, si non
est æqualis filius
patri.

Quod nequeam ad Musas puer aspirare paternas
Da veniam, noster Disticha ludus erit?

Ad carpentem sua disticha.

Disticha quod tenui mediter me carpis auena,
Non omnes possunt prælia flare tuba.

Ad eundem.

MICHAELIS VERINI.

Si labor in tenui est, si me non spernit Apollo,
Cur tibi sic nostri displicuere sales?

Ad Vgolinum patrem suum.

Nostichare parens quam sim breuitatis amator,
Accipe delicias Disticha parua meas,

Ad eundem.

In lucem nostri formidant prodere lusus,
Si prius emendes, nil Vgoline timent.

Ad carpentem ingenium &
ætatem suam.

Me puerū dicas quid tum, ingeniumq; reprendis:
Sat mihi, si mores dixeris esse bonos.

In eundem.

Aetatem incusas, neque as quum carpere mores:
Naturam insanæ est carpere mentis opus.

Qui senex laudandus.

Vt laudanda senis probitas, ita fœda senectus,
Culpanda est, turpi quæ maculata probro.

Ad Canusianum, quod oci-
um est sepulchrum
hominis.

Ocia mors hominū est, spirantis & esse sepulchrū
Arbitror indocti, Canusiane, viri.

Signum est æternæ ruinæ fœlici-

DISTICHA
tas improborum.

Desine mirari, æterna sunt signa ruinæ,
Prospera quum videas tot geminata malis.
Ingratus est, qui sine vſura
grates reddiderit.

Reddiderit quisquis paruas sine fœnore grates,
Conuincam ingratum Canusiane virum.

Poëtæ multa lectione est opus.

Instar apis debet varijs excerpere libris,
Melli fluo ut manet dulcis ab ore liquor.

Se quisque metiatur, & alijs
erit æquus iudex.

Te perpende prius, nec det tibi purpura fastum
Ut tibi, sic alijs arbiter æquus eris.

Virtutis principium asperum
finis amœnus.

Est opus incepto, finis virtutis amœnus,
Principijs quamuis aspera prima via est.

Voluptas pestis iuuenum &
senum est.

Vis fieri fælix: est debellanda voluptas:
Hæc iuuenum exitium est, pestis & illa senilis
Iactantia est omnibus inuisa.

Omnibus inuisa est stolidæ iactantia mentis:

DUM

MICHAELIS VERINI.

Dum de te loqueris, gloria nulla tua est.
Quæ carent effectu tentanda
non sunt.

Quæ fieri nequeunt, prorsus tentare recuses,
Ingenij debes pondus habere tui.

Nihil noui sapienti contingit.
Præuidet ē speculo sapiens quæcunque futura:
Assuetusq; malis nil nouitatis habet.

Sapiens nihil inuitus facit.
Nil facit inuitus sapiens: exire recusas
Quod vitare nequis: velle necesse tibi est.

Quos benè vestitos, eosdem
egregios vulgus
putat.

Si toga crassa mihi est, spernor, si trita lacerna est
Num facit egregios purpura picta virose

In eandem sententiam.
Si modò me spernis, mutata ueste redibo:
Quod mihi non dederis, uestibus ipse dabis.

Ad idem.

Oblatrant tritis catuli plerumque lacernis:
Ne latres, nobis uestis habenda noua est.

In detrectorem.

Nullius ingenij tanquam sint Disticha carpis:

T#

DISTICHA

Tu nil cūm scribas, quale tibi ingenium est?
In eundem.

Sectantem patrias artes & inutile carmen.

Me carpis: tu quid desidiosus agis?

Quod non sumus mancipia
corporis.

Quum sit missa tibi mens alto libera cœlo,

Num vis mancipium corporis esse tuis

Non est credendum blando
adulatori.

Qui te plus solito demulcet carmine blando,
Te capere insidijs nititur ille suis.

Vitanda sunt contagia culpæ.

Ceu colubrum fugias blande contagia culpæ.

Quis non foedatur, si pice tactus erit?

Res precibus vendita cara est.

Quod precibus vendis, precium tibi vile videtur.
An mihi res emitur carior vlla prece.

Meum & tuum sunt omnium
malorum causa.

Si duo de nostris tollas pronomina rebus,
Praelia cessarent, pax sine lite foret.

Qui seminat discordiam, æ-
rumnam metet.

MICHAELIS VERINI.

Qui mala vipereis iactabit semina fulcis.

Martis & ærumnae tristia grana metet.

De morbo suo.

Mutauit stomachum diri violentia morbi:

Hei timeo faciet quid mihi saeuia lues.

Quæ scimus docere, & quæ
ignoramus discere
debemus.

Quæ nosti, impertire libens, facilisq; roganti

Esto: quæ nescis, discere ne pudeat.

Diuitiæ male partæ hostibus
relinquuntur.

Cur tibi diuitias cumulas? cui congeris aurum?

Hostibus an nescis haec cumulare tuiss?

Ad factiosum.

Cur miser incedis numeroſo milite septus?

Quæ mala custodes tot peperere tibi?

Qui alios reprehendit, se pri-
mùm castiget.

Quum fueris censor, primùm te crimine purges,

Ne tua te damnent facta nefanda reum.

Non debemus nostra negli-
gere, vt aliena cure-
remus.

Ne

DISTICHA

Ne tua contemnas, aliena negocia curans:
An tibi te quisquam iunctior esse potest?
Amico fac profis, ut tibi
non obsis.

~~H~~ Esto memor charo semper prodesse sodali
Sic, tibi ne noceat præstita sedulitas.

In eandem senten-
tiam.

Sic vtare tuis, egeas ne rebus amicis:
Sarcina nanq; humeris tota ferenda tuis.
Amici paucissimi.

Millibus ex multis vnius vix fidus amicus:
Hic albo coruo rarior esse solet.

Omnes diuites auari sunt
pauperes.

Quererere diuitias, & semper egere, furoris
Est summi: vt partas destruat alter opes.
Vnus princeps.

Non capit vna duos maiestas regia fratres,
Fraterno rubuit sanguine Roma recens.

Vita tyranni miserrima.

Quid queris? si nota foret tibi vita tyranni,
Priuatus malles sedibus esse tuis.

De Sylla fœlici,

Imperium

MICHAELIS VERINI.

Imperium posuit tunc vero nomine fœlix,

Nam prius iniustus Sylla tyrannus erat.

Festinatio & ira sunt inimicæ
consilio.

Consilium præceps sequitur plerunque ruina,

Ira quoque est valde noxia consilio.

De victu modesto.

Sit facilis victus, nullo irritante saporem :

Sed stomachū & gustū mordeat ipsa fames.

De paupere.

Si pauper fueris, sit parsimonia munda :

Nec neglecta tibi simplicitas fuerit.

Laus sit modesta, vituperatio
modica.

Si quem laudaris, parcē laudare memento :

Crimina culpato parciū ipsa tamen.

Autoritas dicentis non est
attendenda, sed quid
dicatur.

Nec te dicentis moueat reuerentia, sed quid

Dixerit, attendas qua ratione probets

Petro Rodolpho Nico-
lai filio.

Nil tibi rescripsi, veniam concede Rodolphe :

D

Hie

DISTICHA

Hic morbi quintus iam mihi mensis adeſt.
Simoni Canufiano amico.

Non me viſiſti, ſexto quum mense laborem,
Dic vbi traxiſti Canufiane moras?

Ad Petrum hortantem, ut ſa-
lutem recuperet, poſita
virginitate.

Cur Petre virgineum hortaris me ponere florem?
Non faciam: vel ſi hoc certa paranda ſalut.

Ad Paulum Roncilionem,
de medicorum con-
ſilio.

Promittunt medici coitu mihi Paule ſalutem:
Non tanti vitæ fit mihi certa ſalut.

Ad Pierides.

Quœ mora Pierides tenuit? ſuccurrите morbo
Pallida letifero vix tegit oſſa cutis.

Ad Calliopeam.

Hic mihi iam ſextus mensis poſt mille labores,
Affer opem vati Calliopea tuo.

Ad Apollinem.

Pulcher Apollo veni, differq; ſalutifer herbas:
Tum citò ſi moriar, crimen Apollo tuum eſt.

De Luxuria,

LXXXVII

MICHAELIS VERINI.

Luxuria est prædulce malum, quā cærpere multi,
Sed pauci vitare queunt: pariturq; labore
Virtutis robur: corrumpunt ocia mentem.

Vicia & non mores carpendi.

Parcere nominibus nostri didicere libelli:
Crimina, non homines, nostra Thalia premit.

Ad idem.

Religio Christi personis parcere ius sit:

Vnde meo nullus carmine inustus erit:

In versificatorem quendam.

Vna bis centum componis carmina nocte,

Ah nescis scombris carmina quanta facis.

Consulas prius quam facias.

Nil temere incipias sed primum consule: cœpti

Nam multos serò poenituisse liquet.

Verecundia & pudor honesti mater, & frenum viciorum.

Improba quid vides? verecundia mater honesti est,
Frena pudor turpis criminis esse solet.

Regnum est graue & periculose.

S' quanti plenum diadema pericli es,
Es Sisiphij ponderis esse reus.

FINIS.

**VARIA MICHAELIS
VERINI POETAE
Epitaphia.**

**Hoc Nicolaus Serati-
cus ædidit.**

**Ante diem raptum questa est elegia Tibullum,
Proximus accedit Pro Michaële dolor.
Amplius in puerō mores, mirabere lector
Disticha qui sancto digna Catone legis.
Contigit impubi, seris quòd prouenit annis:
Iudicium, grauitas, candida vita, sophos.
Sic iuuenis Michaël superauit Nestoris annos.
Vitam etenim virtus, non mora longa parit.**

**Aliud à Bernhardo Michelo-
tio æditum.**

**Ne fle, viuo, fruor tandem pater optime veris
Delitijs, cœlo, posteritate, Deo.**

**Poëtæ Epitaphium ab Anto-
nio Geraldino æditum.**

**Regia Pyramidum cedant monumenta viator
Huic lapidi, quanquam marmora nulla
Verinus Michaël decus immortale pudori.
Clauditur hoc saxo: siste parumper ite**

Quod latet ingenij sydus? quæ gloria Phæbi?
Delicias orbis quam breuis verna capit?
Disticha composuit grauibus distincta figuris,
Quæ possis sacris æquiparare libris.
Est breuis: argutus, facilis, sine felle pudicus:
Litera plus nerui, quam sua carnis habet,

Aliud ab quodam Hieronymo æditum.

Hic situs est Michaël sexta triederide raptus,
Vnica doctiloquissimes & imago patris,
Moribus, in dubio est, fuerit vel carmine maior:
Fama pudicitiae, Pieridumq; decus.
Iudicium, probitas, studium, solertia, non te
Afferit impubem, sed probat esse senem.

Hoc Martinus Iuarra Cantabrigicus ædidit.

Ille ego Verinus Phæbi noua fama Michael,
Quem Verona velis, quem puto Thera tuum.
Ter senos Lachesi rapior puer altus in annos,
Dum Veneris fugio, quam mala ferret opem.
Sic pedibus magnum Christi pulsamus olympum:
me Vesta frequens, Hyppolitusq; legunt.

FINIS.



Aclatot Nekette ex arkonyo. Szabó
Gaspar. Uram által.

A 6 6 4

87bris Memento moriet non peccabit




95.

13 Ap


Steph. A. Bánya.
Anno 1725. d. 11. Febr.

Anno 1697. 16 Maii. - F.
Anno 1700. 29 Jan. s.
13 o Junij f.









VERL

MUS

DISTI

CH.

ED.

ED.

ED.

ED.